

Xm. 87.

M E M O R I A M

ILLVSTRISSIMAE COMITIS
IOANNAE HENRICAЕ LVDOVICAE
DE BESTVCHEFF - RVMIN
E GENTE CARLOVIZIA

D. XXX. IVN. CICCISSCXCVIII H. IX.

IN AVDITORIO MEDICORVM
ANNIVERSARIA ORATIONE RECOLENDAM

I N D I C V N T

ORDINVM ACAD. LIPS. DECANI
SENIORES CAETERISQUE
ASSESSORES

QVAESTIONES MEDICINAE FORENSIS

VI. FACTA VIOLENTA EPILEPTICORVM QVAMVIS MALEFACIENDI
ET VLCISCENDI CONSILIO VSCEPTA AMENTIAE
EXCVSATIONE NON CARERE.

etiam in opere, iubacione et complicitate, indebetque omnis
animus illius obnoxius, impudens, infelix, impotens, et aliis
enim nominibus, quae inveniuntur, sive in personis, sive in
imperio, sive in rebus publicis, sive in clerico, sive in monachis, sive
in officiis, sive in negotiis, sive in commerciis, sive in industria, sive
in agricultura, sive in artibus, sive in scientiis, sive in medicina, sive
in iure, sive in ecclesiastice, sive in civili, sive in publica, sive in privata
omniis ratione, et in omnibus operis, et in omnibus actionibus.

Adeo detestabile apud homines et execratum est malitia
nomen, vt etiam illi ipsi, qui ea maxime sunt imbuti, con-
ceptam sibi turpitudinem, factorum initiatione et quibuscon-
que inuentis excusandi argumentis, amouere atque propellere
studeant, aut, quod faciunt fallaces, astuti, versutique, pra-
vitatem animi, vultus serenitate humanitatisque ac probitatis
specie, induant atque occultent; multo magis caeteri omnes
illius apertos osores se atque inexorabiles iudices profiteantur.
Igitur si quis defensor reum in comperto maleficiendi et vici-
scendi consilio deprehensum culpa et poena emititur liberare,
ei periculum est, ne plus desuisse sui nominis honestati, quam
profuisse clientis causae videatur. Atque haec in primis ratio
fuit, quod cum neque legum aequitas, neque iudiciorum cle-
mencia ab excusatione amentiae abhorreret, hic in ea proban-
da et accipienda modus poneretur, vt, quae actiones violen-
tiae perspicuam insaniae significationem non haberent animo-
que deliberato et nocendi ac vindicandi studio commissae fuissent,
pro his, vel hoc arguento, veniam difficulter et ne dif-
ficulter quidem impetraretur. Verum tamen nescio, an in
hoc minus, quam in caeteris amentiae signis erretur. Nam
de consilio et facti praemeditatione sic statuendum est, non
solum occultae insaniae, sed etiam aperi furoris mirandam
saepe in agendo prudentiam solertiamque inueniri; si quidem

animus propositum finem aliquem contendat, eiusque cogitatione assidua quasi defixus teneatur. Igitur si modo per alias notas de amentia exploratum est, quantumuis consulto reus egerit, tamen illa excusatione nequaquam est priuandus. Quod euidenter probant illae narrationes, quae in primis prolationibus a me expositae fuerant. Etenim earum actionum, quae deliberato animo fiunt, haec persaepe in amentibus ratio esse solet, ut, cum et nocendi vim habeant, et ad eam rem, in qua nocendi vis inest, diligenter excogitatae et comparatae sint, tamen a nocendi voluntate nullo modo profiscantur. Ut illa puella agrestis, cum ignem in heri domum inferebat, incendium studiose parabat et vero eriam auide appetebat: erat tamen a laedendi cupiditate remotior illa; quippe quae incendium facere, non hero calamitatem afferre voluisse.

At vero illa ipsa facinora quoque, in quibus perspicue se prodit laedendi et vlciscendi voluntas, et si hacenus voluntaria sunt, ideoque nullam a perturbatae mentis statu excusationem videntur habere, non omnia promiscue ad eorum genus referri debent, quibus illa insaniae excusatio nullo pacto queat accommodari. Quod mihi nunc haud dubitanter affirmanti mente et cogitatione obuersatur illa epilepticorum — dicamine insana malitia, an insania malitiosa, — quam si quis propterea, quod nec deliberatione, nec laedendi voluntate careat, culpa neget atque poena exsolui debere, in summo errore et grauissima praceptorum medicinae forensis ignoratione versari mihi videatur. Sed nescio an non praeter epilepticos aliud huiusmodi exemplum inueniatur. Itaque in hoc vno me nunc contineo: ab hoc vno genere malitiae crimen et supplicium deprecor, idque facio medicorum atque philosophorum omnium consensu et auctoritate.

Mali-

Malitia, vel malevolentia, est malefaciendi ac nocendi studium a suo sciunctum commodo et emolumento. Constat ea partibus duabus disparis generis: stupore et iracundia; quo ego posteriore vocabulo illam hic intelligo sentiendi acrimoniā (*), per quam ingenii et animi celeres motus sunt et ad excogitandum et ad agendum. Atque sunt illa duo ita inter se coniuncta et copulata, ut, si alterutrum absit, vis omnis delectetur malitiae. Itaque semper ego malevolos una et stupidos cognoui, et iracundos: stupidos, ut omni liberaliori ac humaniori sensu, amicitiae, benevolentiae, etiam pulchritudinis, carent; iracundos, ut ad suspicionem, ad inuidiam, ad odio, ad infidias et similitates propensi et alacres deprehenderentur.

Nunc sumo hoc ut demonstratum a me et concessum ab aliis, omnem prauitatem animi, quae perspicuam et necessariam causam in morbo habeat, ad mentis aegrotationem et amentiam esse referendam; et proinde actiones hac non voluntaria prauitate suscepitas iustum et legitimam excusandi rationem inuenire. Enimuero in epilepsia manifesta causa est et stuporis, et iracundiae, quorum duorum coniunctione vel maxime efficitur illa nocendi malitiosa libido: namque huius morbi infania omnis et ferocitas stupore et iracundia absolvitur: quod aequo non necesse habeo nunc diductius explanare, ac primis elementis pathologiae lectores meos erudire. Atque utrumque hoc animi vitium, irtuote in conspicuo morbo situm, culpa carer; nec magis aut ob stuporem, aut ob iracundiam epilepticus vituperetur, quam alius quisque propter paralysin vel propter febrem. Qua de re non mirum epilepticos, praesertim cum durius habeantur, ad omne genus malitiae propensos et inclinatos esse, atrocissima-

A 3

que

*) Hestigkeit.

VI

que facinora, incendia, parricidia, veneficia et callide praeparare et diligenter patrare. Nam stupor, quo maximo offunduntur a cerebri neruorumque perpetua commotione, animum hebetat ad illos mitiores sensus benivolentiae, concordiae, aequitatis, humanitatis et omnem in pectore officii atque virtutis cogitationem obruit et extinguit. Iracundia autem, nunc acrum humorum corporumque peregrinorum stimulis excitata, nunc inuidiae et superbiae aliarumque perturbationum furiis agitata, ad inhumanitatem et crudelitatem inflammat, nocendi et vlciscendi consilia infundit, vocem ad iurgia et contumelias manusque et omnia agendi instrumenta ad vim et violentiam intendit armatque.

Sed quoniam hanc ego nuper velut ratam sententiam quandam stabilui, nullum excusandi argumentum neque temperamenta, neque perturbationes habere, sed omnem hanc defendendi rationem a morbo coequi insigni et conspicuo repeti oportere, ne quis iam ab his me ipsum dissentire atque recedere existimet: non praetermittendum est, epilepticorum et stuporem, et iracundiam morbo fieri. Atque hoc modo vtrumque illud inuoluntarium est. Sic intelligi volo: epilepticos non ideo ad sensum rationis et humanitatis hebescere, quod a cogitationibus ad eum instillandum et fouendum idoneis mentem aut nunc auertant, aut auerterint alio tempore; sed hunc iis stuporem necessaria quadam morbi consecutione accidere. Perinde statuendum est de iracundia; ad quam non temperamenti feruore proclives illi sunt, sed per stimuli impetum et violentiam coacti. Atque haec coactio vel maxime augetur stupore. Nam nihil est ad sedandam ac temperandam iracundiam efficacius, quam sensus officii et humanitatis, quo, velut spiritu quodam, illa in animis nostris incendia diffilantur et restinguuntur. Igitur qui hoc sensu non sua culpa, sed

mor-

morbi vitio destituitur, si quando per excandescientiam ad factum violentum incitatur, licet nec deliberatio, nec maleficendi voluntas absit, tamen, propter amentiae veniam, crimine ac poena omni pacto est eximendus.

Quae cum ita sint, etiam atque etiam cauendum est iudicibus, ne, propter praemeditationem et nocendi ac vindicandi cupiditatem, reum amentiae venia priuandum esse arbitrentur, aut, cum epilepsiae excusatio a defensore afferatur, hoc aliquid momenti habere putent, quod eo tempore, quo facinus vel paratum, vel commissum fuerat, nulla epilepsiae ne dum insaniae suspicio apparuerit. Nam, ut demonstratum est alibi, occulta esse solet insania epilepticorum, neque eo ipso tempore, quo maxima eius vis in animo et efficientia est, aut sermonum, aut actionum inconcinnitate significatur. Ergo nihil hic utilitatis habent tentamina per interrogations et colloquia. Cae terum qui amens est, nullo tempore non mentis expers est habendus: ergo etiam si epilepticus, qua die et hora v. g. incendium fecerat, nullam morbi caduci accessionem habuisset, imo vero ex longo tempore vacuus omni molestia et recte valens fuisset, tamen medicis non magis sanus videbitur. Apud quos tanta est suspicio epilepsiae, ut si quis vel semel aliquando ea tentatus fuit, ab eo nullam vel cerebri, vel animi commotionem et infirmitatem alienam putent. Est enim naturalis quaedam necessitudo et affinitas epilepsiae cum insania, per causarum communionem firmata; atque cernere licet, epilepticos plerosque tandem aut, altius infixo morbi stimulo, eoque vehementius exardescente, in apertam melancholiā vel maniam incidere, aut, hebetata externorum internorumque sensuum acie, ad mentis inertiam atque fatuitatem deuenire. Ne hanc pro epilepticis deprecationem aut narratione aliqua illustrēm aut Ordinis Nostri decretis confirmem, impedit me argu-

VIII

argumentorum perspicuitas et evidentia; quam si etiam iure-
consultis probari videro, maxime laetabor.

Scripta est haec prolusio nomine et auctoritate Academiae Lipsiensis; quam Illustrissima quondam Comes, Ioanna Henrica Ludouica de Bestucheff-Rumin, sua in litterarum studiosos munificentiae administratam constituit, hoc pacto, ut nobilissimi de gente Haugwitzia et Carlowitzia iuuenes, ad quos vel maxime yellet huius beneficij fructum pertinere, suo quisque tempore et ordine, gratum pro ea re animum anniversaria oratione declararent, Academia autem, recolendam Illustrissimae Matronae memoriam ritu solemni indiceret. Cui nunc instituto ita est per hanc prolationem obtemperatum, ut Rector Academiae Magnificus, Illustrissimi Comites, Vtriusque Reipublicae Proceres Grauissimi, Nobilissimi denique et Humanissimi Commititones obseruantissime regentur, ve- lint proximo die Saturni, d. XXX. Iun. h. IX. frequentes conuenire, et Carolum Henricum Traugottum de Gersdorf, Equitem Lusatium Generosissimum, liberalitatis Bestucheffianae laudatorem non infacundum de studii historici utilitate differentem, benebole audire.

P. P. Dom. III. p. F. Trinit. ccccxcviii.

LIPSIAE

EX OFFICINA KLAUBARTHIA.

26n 598

(1443)

ULB Halle
002 043 564

3




56


6028

hc





B.I.G.



MEMORIAM

ILLVSTRISSIMAE COMITIS
IOANNAE HENRICAЕ LUDOVICAE
DE BESTVCHEFF - RVMIN
E GENTE CARLOVIZIA

D. XXX. IVN. CCCCXCVIII H. IX.

IN AVDITORIO MEDICORVM

ANNIVERSARIA ORATIONE RECOLENDAM

INDICVNT

ORDINVM ACAD. LIPS. DECANI
SENIORES CAETERISQVE
ASSESSORES

QVAESTIONES MEDICINAE FORENSIS

VII. FACTA VIOLENTA EPILEPTICORVM QVAMVIS MALEFACIENDI
ET VLCISCENDI CONSILIO SYSCPTA AMENTIAE
EXCVSATIONE NON CARERE.

